affixio compassiui doloris gladio ipsius animam
pertransibat. Admirabatur quam plurimum
in tam inscrutabilis visionis aspectu. sciens
quod passionis infirmitas cum immortalitate
spiritus seraphici nullatenus conveniret. Intelle
xit tandem ex hoc domino revelante. quod ideo huius
modi visio sic divina providentia suis fu
erat presentata conspectibus. ut amicus Christi prenosset
se non per martirium carnis. sed per incendium men
tis totum in Christi crucifixi similitudinem transfor
mandum. Disparens igitur visio mirabi
lem in corde ipsius reliquit ardorem. sed et in carne non
minus mirabilem signorum impressit effigiem.
Statim namque in manibus eius et pedibus apparere
ceperunt signa clavorum. quemadmodum pau
lo ante in effigie illa viri crucifixi conspe
xerat. Manus enim et pedes in ipso medio cla
vis confixe videbantur. clavorum capitibus in inte
riori parte manuum et superiori pedum appa
rentibus et eorum acuminibus existentibus ex ad
verso. Erantque clavorum capita in manibus et
pedibus rotunda et nigra. ipsa vero acumina

License: CC-BY-NC – Luzern, Provinzarchiv Schweizer Kapuziner Luzern, PAL L, f. f.%2079v – Bonaventura, Legenda maior s. Francisci . Vita beati Antonii (http://www.e-codices.ch/en/pal/L/f.%2079v)